Datâ indicatione forti, venæ ſectio celebretur in principio variolarum.

QUod tibi Morbe malum cunctis inimice precabor?
Inviſum pueris, virginibúsque caput:
Sæpe ſuam per te ſponſam ploravit amator:
Flevit amatorem ſæpe puella ſuum.
Sæpe cubat per te viduo triſtiſſima lecto,
Quæ fuerat multis invidioſa procis;
Plurimus in læſo livor dum ſqualleat ore,
Et fugiat turpes purpura priſca notas.
Non ſic laſcivo placuiſſet Seſta Leandro:
Rupiſſet Morbus, quam nequit unda, fidem.
Nequicquam Medea thoros ulciſcere læſos,
Ut bibat ardentes pronuba virgo rogos.
Nempe faces Hymenæus amat; flagramus amantes:
Hàc potiùs pellex aggredienda tibi eſt.
Quà dolet, arma pares; & morbo milite pugnes:
Hunc, leve flamma malum, tu modò confer, erit.
Jam videor ſævos ſentire medullitùs ignes;
Et crepat in miſero ſævior Ætna ſinu,
Stagnat concretus toto ſub corpore ſanguis;
(Nec vultus manet, aut mens mihi, qualis erat.)
Si modò ſit ſanguis, nec plurimus oris Avernus:
Aut poterit ſiquid turpius eſſe lacu.
Quàm citò naſcentis capit incrementa doloris,
Sævit, & inſano membra dolore coquit.
Principio mitis flamma eſt, facilísque domari:
Principio facilis, cras minùs apta regi.
ERGO, dum liceat redimenda eſt ſanguine vita.
Quà fugiat morbus feceris enſe viam.
Exiguus toto dabitur pro corpore ſanguis:
Et quà vena patet, porta ſalutis erit.

Secretio bilis eſt proprium munus hepatis.

NOndum diſtinctæ fecerunt membra figuras
Infelix moles & rude pondus erat.
Nondum diſpoſuit varios natura meatus:
Unica materies córque jecúrque fuit.
Prima dedit ſanguis divini ſigna caloris:
Prima dedit vitæ conſcia ſigna novæ:
Prima dedit motûs; fætúmque animavit inertem;
Et membris vitam quam dedit ille fovet.
Exiguos nos quiſquis erat qui finxerit orbes,
Pro Sole huic certè ſanguis habendus erat.
Scilicet ille ſuum metitur curſibus annum,
Mentitúſque vago Signifer orbe vehit,
Par regit & munus: fovet hic, fovet ille calore:
Iſte ſui fons eſt, nec minùs ille ſui.
Quærimus huic fontem fruſtrà quacunque latentem
Quem petimus ſanguis, ſanguinis author adeſt.
ERGO, Jecur, proprium tandem tu munus obito:
Bilis ſparta tua eſt, illa regenda tibi.
At jecur ætherei fiet cùm ſanguinis author,
Officium mutent péſque manúſque ſuum.

Jul. 4. 1653. *In Veſperiis Com.* *Reſp.* *Doct.* Brock, *Coll. S. Petri Socius.*